

res, Asarum; Et quæcumque lubricando aluum subducunt, aut humiditate multa. inter quæ arbitror ego collocari Cassiam; at non Mannā, vt non pauci recentiorum Medicorū, & Sepalsiariorum sibi persuadent: nam Mes. cap. proprio, hæc litteris tradidit memoratu digna: *Quoniam verò imbecilliter euacuat, præsertim cruda; cocta enim citius agit, & ideo Electuarium quoddam confecit ex Manna, quam ebullire imperat cum libra vna succi Rosarū ad conuenientem consistentiā; quod procul omni dubio diuturnam requirit cocturam, quam non sustinent Thus, Myrrha, & Aloe, vt Gal. 2. per genera. c. 3. Sed quænam Metallorum ferant aut longā, aut mediocrem, aut debilem, aut nullam coctionem, vbi de Vnguentis, patefaciam. Quæ autem vocentur Aromata, sequenti Capite narrabo.*

Error aliquorum circa Mannā. In Cano.

Manna longā sustinet coctionem.

De Coctura in duplici vase. Cap. XIX.



*DECOCCTIO illa, quæ duplici celebratur vase, nō solum à Galeno mirum in modum probatur, sed etiam ab alijs grauissimis Medicis, qui ante ipsum, & suo tempore medicinam faciebant; quoniam nullum imminet periculū, ne medicamenta ab æstuant, ac flagranti igne adurantur: immò potius humiditatem propriam humido illo calore conseruant. In vsu fuisse hoc cocturæ genus apud diligentes Medicos narratur lib. 4. de sanit. tuenda, cap. 8. sic: *Qui verò magis his sunt curiosi, in duplici vase coquunt, hoc fit,**

cum

cum in lebe, in quo sit aqua feruens, inseritur vasculum, in quo sit oleum, quod nos facere solemus. Et 3. per genera. c. 8. Duplici vase liquanda, quod omnibus Vnguentis est commune. Vtebatur duplici vase Andromachus, vtscribitur 7. secundum locos, Arteriaca septima, quo inquit: Sit autem mel præcoctum, & in duplici vase priuatim vsquequo manus non inquinet. Et eodem libro, vbi de ijs, quæ à Critone hæc: Hoc solo loco apposuit in duplici vase, hoc est, Diplomate, cocturam fieri debere. Rectissime autem fecerit, qui omnes Arteriacas, quæ mitigatoriam, coctoriam, & lenitoriam vim habere prædicantur, in duplo vase, quomodo sanè Vnguentarij vnguenta parant, sic præustas prunas, aut ligna fumum non edentia succendentes. Et Asclepiades referente Galeno 7. per genera. c. 12. sic: Omnibus contusis, & in vas duplex vnguentarium iniectis vini sextarios octo affundito. A cuius verbis innotescit non paucis Seplasiarijs, eum multam quãtitatem Simplicium, & liquoris Diplomate decoxisse: sicuti & 7. per loc. Mellis heminas quatuor. Et 7. per gen. c. vlt. hæc cecinit Democrates:

Iniectis vasi prædicta liquefcunt aqua

In alia Olla: liquefactis inde Malabathrum

Et cunctis vnitis modicè, vt non ferueat

Duplex depone vas protinus ex cacabo.

Et Gal. 1. de Antid. c. 15. vbi de Theriaca, nonne resinam Terebinthinam in duplici vase primò colliquat, tum Styracem, & Galbanum prius confecta cum melle? Nonne 10. Meth. c. 9. liquefacit duplici vase ceram, & oleum pro hæcticis inungendis? Præterea quot olea decreuit Mesue Diplomate deco-

decoquenda esse: quod genus decoquendi à peritis Pharmacopœis, & à Chymicis summo perè probatur; & potissimum si compositio multa aromata recipiat. At recentiores avaritia ducti hoc fugiunt.

Error aliquorum.

Aromata autem dicuntur hæc à Gal. 7. lib. Methodi c. 4. Spica Nardi, Amomum, Calamus aromaticus, Iris, Ladanum, Malabathri folia, Stryrax, Bdellium, Opobalsamum, Balsamum, Xylobalsamum, & alia multa. Sed omnium aromatum abundè caler natura, maximè Casia, Costi, Cinnamon, & Amomi, vt 5. Aphorif. 28. Et 9. per loc. inter hæc flos Iunci odorati, & Costus. Et 6. de Compos. per loca, & 5. videtur enumerare inter aromata Myrrham, & Crocum dicens: *Crocus autem, & Myrrha, multa. alia aromata in decoquendo vim amittunt.* Nã, vt scribitur 7. per loc. c. 6. *Sunt tenuium partium, resiccantia, atque calefacientia, & odorata, sicut 7. Simpl. cap. de Calamo habetur.* Sunt præterea quædam quæ aromatum redolent, vt Macer, fructus Iuniperi, & Cedri, sicuti 7. de Alim. fac. legere est. Arabes inter Aromata enumerant Caryophyllos, Nucem Myristicam, Moschum, Ambram, & Santalum, vt placet Haly in descriptione Pil. Alephanginarum Mes.

Aromata quæ.

lignum Aloes, Macem, Cardamomum, Cubebas, & Asarum locauit. Ante eorum decoctionem crasso modo conterantur ad Mes. præceptum eodem Capite.